teſtamenta obſignet: verumetiam magnificentiſſimi noſtri magiſtri & patricii, præfecti urbis etiam, aliique qui judiciis præſunt, ſigillis ſuis illa fidei commendent. Verum hi in urbe: in aliis autem locis & civitatibus præfecti, & in quaque provincia præſides hoc ſciunto & faciunto.

CONSTIT. XLV.

*UT SENTENTIAM JUDICES IN LITERAS REFERANT, SUAQUE[1] MANU OBSIGNENT.

Idem Imperator eidem Styliano.

DUm ut res judicatæ firmæ maneant, & ne qua ſuſpicio atque controverſia ſententias inſequatur, curam gerimus, hoc ſe nobis conſtituendum obtulit, *ut quibuscunque* dijudicare ac dirimere lites obtigiſſet, de quibus rebus judicium pronunciaturi eſſent, de iis ſententiam de ſcripto ferrent, eamque manibus ſuis [2] obſignarent: ut ne ſi temere judicatum eſſe poſtmodum deprehendatur, negare illi ſuam ſententiam poſſint: neque alii cuipiam ſuppoſititia adulterinaque ſententiæ ſcriptura efficta, illam in judicum aliquem referre liceat. Quicunque igitur judicum dignitate honoratus eſt, dehinc ita facito: ac quibus de rebus judicavit, decretum ſcriptum ſuaque manu obſignatum edito.

CONSTIT. XLVI.

*ABROGATIO[3] QUARUNDAM DE CURIIS ET DECURIONIBUS[4] LATARUM LEGUM.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUemadmodum ut quæcunque aliæ res in communis vitæ uſum aſſumantur, ipſarum commoditas facit, & quæ utilitatem aliquam adferunt magnifacimus: quæ vero ad nihil conducunt, contemnimus: ſic omnino & ad legalium capitum compoſitionem nos accommodari oportebit, ut quarum uſus aliquis ſit, qui bono quopiam rempublicam beet, hæ neceſſario & ſerantur & honorentur: quarum vero uſurpatio aut nullius momenti, aut mala ſit, harum non modo non ratio habeatur, ſed etiam e legum corpore exemptæ rejiciantur. Hæc idcirco dicimus, quod inter veteres de decurionibus & curiis latas leges quædam gravia intolerabiliaque decurionibus quæpiam munera injunxerint: curiis autem privilegium, ut quosdam magiſtratus conſtituerent, ſuaque autoritate civitates gubernarent, præbuerint. Quæ nunc, eo quod res civiles in alium ſtatum transformatæ ſint, omniaque ab una Imperatoriæ Majeſtatis ſolicitudine atque adminiſtratione pendeant, tanquam incaſſum circa legale ſolum oberrent, noſtro decreto illinc ſubmoventur.

CONSTIT. XLVII.

*ABROGATIO[5] LEGIS QUÆ SENATUI PRÆTORES, DECURIONIBUS VERO PRÆFECTOS CONSTITUERE CONCEDEBAT.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUod alius olim reipublicæ ſtatus eſſet, rerum ordo ſimiliter alius erat. Quum enim cuncta in Principis deliberationem non caderent, ſed nonnulla eſſent, de quibus diſpicere, & jubere ſenatus officium eſſet, ea ab illo etiam proferebantur. Prætores itaque tres [6] numero in urbe rebus adminiſtrandis ab eo præficiebantur, isque actus ſanctione legis procedebat. Neque vero id in urbe ſolum, ſed in aliis etiam civitatibus a decurionibus[7] ut vocabantur, præfecti quidam (non tamen quales hodie militaris præfectura novit, ſed excellentiores quidam, quique aliam curam demandatam haberent) præficiebantur. Quum igitur aliter ſeſe tunc res haberent, communis uſus illam legem requirebat. Nunc autem quum omnia a principali cura pendeant, Deoque opitulante ipſius providentia diſcutiantur & dijudicentur: ac vero illa lex nullum de ſe uſum præbeat, cum aliis quæ de republica ejectæ ſunt, hanc etiam ejiciendam eſſe ſtatuimus. Quemadmodum enim legibus nondum enatis naſcendi cauſam rerum uſus [8] præſtat: ſic quando lex rerum utilitati non ſubſervit, eam abolendam eſſe ſequitur.

CONSTIT. XLVIII.

*NE MULIERES IN CONTRACTIBUS[9] TESTIMONIUM PRÆBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

HAud ſcio quomodo, re non exactiore judicio diſquiſita, mulieribus ad dicendum teſtimonium procedendi facultatem dederint veteres [10]. Illud ſaltem vulgo notum, vocis occurſum [11] mulieri dehoneſtamento eſſe: pudicam vero & honeſtam ejusdem rei fugam efficere. Qua ratione igitur illas ad teſtimonium aſſumi permiſerint, (unde fit perſæpe, ut in magnis hominum turbis converſentur, irreverentiusque quam mulierum ſerme ferat, lingua utantur) hoc quemadmodum dixi, mihi dubitare ſubiit. Quorſum enim hiſce viſum eſt, ut in [12] negotia publica mulierum prodiret teſtimonium, quibus juxta atque viris teſtari permiſerunt, quemadmodum Scythicas [13] mulieres cum maritis ad bella coarmari audimus? Et ſane quomodo præter abfurditatem ingentem, hoc naturæ etiam finium, quibus virilis muliebriſque ſexus diſterminati ſunt, tum confuſionem, tum everſionem non continet? Quomodo item mulieribus (quas etiam domi obſervanter, nequaquam autem diſſolute atque indulgenter, conveniri oportet) debitam non produnt & verecundiam & honeſtatem? Si quidem ad ferendum teſtimonium progreſſio, quum eo (quod multorum illæ hominum commiſcentur conventibus, negotiisque implicantur virilibus) ad liberius loquendum quam mulieribus decorum ſit, feneſtram aperiat: muliebris ſexus ſubmiſſos morem pudoremque adimit atque ipſas ad inverecundiam & procacitatem exercet. Jam vero res illa contumeliam aliquo modo etiam viris adfert. Quid enim hoc aliud niſi contumelia, & ea quidem graviſſima erit, ſi quarum rerum tractatio virorum maxime propria eſt, ad illas ſexus etiam fœmineus procederet? Quapropter non minus conſuetudinem, quam legis erratum Majeſtas noſtra corrigens, *illis* ad teſtandum præcludit aditum, ac propoſita ſententia ſua decernit, legeque prohibet, ne quo modo mulieres ad contractuum teſtimonia accedant. In rebus autem peculiariter ad ipſas [14] pertinentibus, quibus intereſſe viris fas non eſt (de partu [15] loquor, & ſi cui rei [16] alii ſola mulier adhibetur) ſua peculiaria vicisque occulta teſtantor.

CONSTIT. XLIX.

*NE SERVI AD DICENDUM TESTIMONIUM ADMITTANTUR[17].

Idem Imperator eidem Styliano.

TEſtimonium cum magni momenti, neceſſariaque ad tuenda communis vitæ negotia res ſit, non a quibuslibet, ſed ab iis qui extra ignominiam vivunt, ferri æquum eſt. Recte ergo exquiſita ratione de hoc diſceptant leges, & non ſimpliciter ad dicendum teſtimonium cuique aditum præbent. Verumtamen, quia nonnullæ leges ſervilis conditionis hominibus in quibusdam [18] rebus teſtari conceſſerunt: viſum nobis eſt, hoc nota inducendum eſſe, ut qui liberæ vitæ participes non ſunt, in univerſum ad teſtandum non admittantur, lexque Novellarum [19] Conſtitutionum obtineat, & de quocunque ſimpliciter teſtimonio ſtatuat, idque in quacunque re, ſive teſtamenta, ſive aliam humanæ vitæ actionem teſtimonium complectatur. Si enim illis qui cum liberæ vitæ ſint, vitam ingenue, eaque libertate quam nacti ſunt digne non degunt, neque quantum fieri poteſt animi magnitudinem a ſervitute liberam conſervant, ſed in illicitarum actionum ſervitutem ſubiguntur, teſtimonium dicere non licet: neque his quorum vitam non eſſe liberam conſtat, ferre teſtimonium concedetur. Nam tametſi alius hic ſervitutis modus ſit, attamen ea ſervitus eſt, quam libertatis dignitate participem eſſe indignum ſit.

CONSTIT. L.

UT [20] DONATIONES QUÆ IN LITERAS RELATÆ NON SUNT AD QUINGENTOS USQUE AUREOS VALEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

QUandoquidem multi alias gratias relaturi, alias benigno duritaxat propoſito moti, dona in nonnullos conferunt: & de hoc capite diſtincte tradendum eſſe viſum eſt, quales donationes non everti, qualesque contra irritas eſſe oporteat. Atque veteres quidem hac de re tractantes pronunciarunt, illam donationem concidere, ne firma ſit quæ quingentorum aureorum ſummam exuperat, niſi in acta publica relata ſit: quanquam etiam donatarius donationis certam probationem propria donatoris manu privatim ſcriptam abſtulerit. Ac neſcio quid ſibi illi ſuperflua hac ſubtilitate velint. Quando enim donatio ſcripto comprehenſa, eique juſtum teſtimonium adhibitum eſſet, quorſum amplius accurate finire oportebat? Nobis itaque exacta hac definitione, quam neque de donationibus dictam [21] eſſe omnino ſcimus, per ſanctionem conſopita, illud proponere viſum eſt, *ut* [22] *ſi* donatio quæ quingentos aureos excedit, in literas relata ſit, rata permaneat: quæ vero ſcripto comprehenſa non eſt, pro eo modo qui quingentos aureos excedit, irrita ſit: tametſi donatarius præfentibus teſtibus rem donatam adeptus ſit. Etenim donatio, cujus æſtimatio quingentos aureos non ſuperat, etſi conſcripta non ſit, dummodo tribus teſtibus confirmetur, rata judicatur. Ad hanc ergo formam examinatæ donationes, atque valeant, aut irritæ ſint.

1 Poterant olim manu aliena, *l. ult. C. de ſententiis ex periculo recitandis*: cui hoc additur a Leone. 2 Et ita ſuppleo *d. l. ult.*

3 Hac Novell. tolluntur ordines decurionum, ideoque hic titulus non eſt in Baſilicis. vid. Cojac. *ad tit. C. de decur.* 4 *L.* 50. *ff.* 2. *L.* 10. *Cod.* 21. *Nov.* 38.

5 Abrogatur *l. 2. C. de eſſ. prator.* 6 *d. l.* 2. 7 Nam quod Conſtantinopoli atque Romæ ſenatores, hoc decuriones in municipiis faere. 8 Leges uſu exigente promulgantur, uſu contrario tolluntur.

9 Teſtis in contractu mulier eſſe prohibetur *hac Nov.* Gell. *6. cap. 7.* ſcribit nulli fœminæ eſſe teſtimonii jus fuiſſe. & Conſtantinus *l. 1. C. Theod. de rapt. virg.* mulieres removet a poſtulationibus & teſtimoniis, omnibusque rebus judicariis: ut & antiquitus penitus removebantur. Harmenop. 1. *tit.* 6. refert mulieres admitti in teſtimonium *ὑπὲρ τῶν ἀδόξων βίων ἀπείρεγται* & poſt capite *περὶ κακολογίων*, mulieres ait in teſtamentis non admitti, ut & in aliis negotiis: iis exceptis, *ἃ τὰς ἀνάγκας ἢ πραγμάτων.* in quibus non advocantur vel adhibentur maſculi. Idem paulo poſt negat mulierem admitti *ἐν ταῖς συνταγικαῖς μαρτυρίαις*, admitti vero ait *ἐν ταῖς ἀπὸ διαθήκης*, appellat autem *συναγικὰς*, *διαθήκην*, *κωδίκελλον*, *δωρεὰν αἰτίᾳ θανάτου*, *ἀποδείκτικας δὲ τὰς λοιπάς*: id eſt, judicialia, vid. *l.* 18. *ff. de teſt. l.* 20. & 6. *ff. qui teſt. non.* His adde quæ ſcripſi 2. *Feud.* 31. *in fin.* ubi fœminæ removentur a teſtimonio inveſtituræ, quamvis feudum habeant ab eodem domino. 10 *d. l.* 18. *d.* §. 6.

11 Mulieri dehoneſtamentum, frequenter viris occurrere. 12 Εἰς *πράγματα. Scrimg.* 13 Mulieres Scythicæ cum maritis ad bellum coarmari ſolitæ.

14 In quibus negotiis mulieris teſtimonium admittatur. 15 Vid. *tit. de ventre inſpiciendo.* 16 Puta balneo muliebri, *1. Harmenop.* 17 admittitur etiam in quæſtionibus majeſtatis *l.* 8. *ff. ad l. Juliam majeſtatis.* & in domeſticis factis *l.* 8. §. 6. *C. de repud.* adde quæ dixi ad *Nov.* 90. *& ad epigraphen hujus tit.*

17 Teſtis eſſe ullo modo non poteſt, qui ſervus eſt. *Nov. Juſt.* 90. *c.* 6. & ita abrogatur *l.* 7. *ff. de teſt.* 18 In iis ſcil. in quibus alia probatio ad eruendam veritatem non eſt, *l.* 7. *ff. de teſtib.* 19 Nov. ſc. Juſt. 90. *c.* 6.

20 Titulus aliter a Græcis accipitur his verbis, *περὶ τῶ τὰς δωρεὰς τὰς μέχρι φ. πεντακοσίων κύκλῳ ἐγγράφους γινέσθαι. Scrimg.* Mihi fic videtur hac Nov. non requiri inſinuationem in donatione 500. aureos excedente (ut ita abjuretur *l.* 24. *l.* 36. *in fin. C. de don.* 8. 2. *Inſt. de don.*) etiamſi in ea requiratur ſcriptura, ſi tamen teſtibus probari poſſit. 3. Harm. 1. *in fin.* ubi hujus *conſtitutionis meminit ipsum & pro* 29 *laudat.* 21 Ἐθέσπισε *Scrimg. τεχρῆσθαι.* Cujac. 17. *obſerv.* 32. 22 Graci aliter legunt his verbis: *ἐν δωρεᾷ ἢ χεῖρόν τι ὑπὲρ χιλίων πεντακοσίων, ἐγγράφως μὴ γέγραπται δικαίῳ ἐγγράφῳ δὲ συμβάντος ἰσχύειν γνωρίζομεν, ἀδόκιμος ἢ κατὰ τὸ ὑπεξαίρεσιν μέτρου, τῶν πεντακοσίων. Scrimg.* ut locum eſſe corruptum hinc colligamus.

CONSTIT.

Conſtit. LIV. Ut dominicis diebus omnes ab operibus vacent. 673

CONSTIT. LI.

*DE INVENTO THESAURO CUJUS ESSE DEBEAT[1].

Idem Imperator eidem Styliano.

BOnum ſane atque ſalutare eſſet, ſi divinis ſalutiferisque morem gereremus legibus. minime enim tum humanis indigeremus, illarumque luce tutam viam commonſtrante, humano ex legibus auxilio nobis non eſſet opus. Verum quoniam cæno atque luto omnes emergere, divinisque præceptis in cœlum tollentibus elevari difficile eſt: humano generi ſalutem etiam humana prudentia per leges ſuas adinvenit. Quapropter etiam nunc, quum, quanquam Dominus & Servator noſter miſericordes eſſe eorumque qui inopia premuntur, illos qui ipſius donis fruentes in affluenti rerum copia vivunt, anguſtiis ſuccurrere juſſerit, nonnulli tamen ita in Dominum ingrati, ergaque communem hominum cognationem commiſerationis expertes ſunt, ut non modo non benignam manum egentibus præbeant, verum etiam, tanquam ſolis quoque radiis tetricos theſauros ſuos aſpicere invideant, in terram illos defodiant: de inhumano hoc invento in medium legem prodire oportuit. Quæ quidem *lex* cum olim lata fuerit, victa autem poſtmodum a cupiditate, quæ multas egregias res labefactat, ab eademque ſuo vigore privata ſit: nunc ab Imperatoria noſtra Majeſtate in integrum reſtituitur. Jubebat autem illa [2], ut qui in defoſſum theſaurum incidiſſet, ſi prædium in quo inventus eſſet, ad Principem [3] pertineret, alioquive publicum eſſet, illum ex æquo cum fiſco partiretur: ſi vero locus unde theſaurus in lucem prodiiſſet, neque ad Principem pertineret, neque publicus, ſed alterius cujuspiam eſſet, is æqualibus partibus inter inventorem prædique dominum divideretur: denique ſi inventoris prædium eſſet, ipſi res inventa univerſa cederet. Atque hæc quidem lex illa fanciit. Verum [4] perverſa cupiditas haud ſcio quomodo illa circumſcripta, iniquoque lucro fiſco donato, illi in hunc usque diem inventum theſaurum attribuit, legemque otioſam reddidit. At quid hinc contingit? Qui alicubi reconditos latere theſauros ſciunt, dum alios laboribus ſuis gaviſuros, ſe autem fruſtra illos ſubituros, quin & interdum acerbis examinationibus ſubjiciendos conſiderant, illos inveſtigare negligunt: itaque in perpetuum recondita manent & pereunt, quæ in lucem producta magnam hominibus erant utilitatem allatura. Jubemus ergo, *uti* [5] *deinceps* ſecundum veteris legis æquitatem judicetur: & quando theſaurus aliquis inventus fuerit, ſi locus ubi inventus eſt, in publicis imperatoriisve fundis ſit, inventor illum cum fiſco partiatur: ſi vero alterius cujuspiam ſit, ſimili modo ipſum & inventor, & loci in quo theſaurus inventus eſt dominus inter ſe dividant. Cæterum ſi improbus eſſe, neque quicquid repererit confiteri inventor omne velit, ſed dolo mendaciisque ex re reperta nonnulla detineat: in vanum tunc ille laborarit, & tanquam malitioſus rerumque alienarum occultator & fur, nihil omnino accipiat, ac beneficium loci domino ſoli cedat.

CONSTIT. LII.

*UT TAM VETERUM[6] PRINCIPUM QUAM RECENTIORUM NUMISMATA, MODO JUSTI PONDERIS, PROBÆQUE MATERIÆ SINT, VALEANT[7].

Idem Imperator eidem Styliano.

SIpecuniarum nervi [8] ſufficiens & copioſa illarum materia eſt, remque publicam pecuniarum vis ſtabilit; recte profecto veteres defectum, velut morbum quendam ac tabem, inde profugarunt, cum omne genus numiſmatis, etſi ad veteres & priſcos Principes referretur, ſimiliter valere voluerunt [9]. Verum egregium hoc inſtitutum haud ſcio qua de cauſa poſteriores Principes in eadem forma conſiſtere non permiſerint, ac, tanquam ſubditorum opulentiæ inviderent, quæ numiſmata ſuperiorum Principum effigiem ferrent, iis publico uſu interdixerint: ſua vero ſola in communi commercio eſſe voluerint. Næ illi, quantum hinc in communibus negotiis novitatis, quantum item detrimenti, quod cum ad omnes, tum præcipue ad pauperiores, potiusque auxilio & defenſione indigentes pertineat, exiſteret, intelligere noluerunt. Certe mercatorum vulgus, quique alioqui manibus victum quærirant, & demum univerſis rudicorum natio, dum, antiquata ea qua hactenus uſi ſunt pecunia, alio modo res neceſſarias ſibi parare non poſſunt, in perquam anguſtas adiguntur anguſtias. Ea propter nos novo recentiorum placito non acquieſcentes, veterum autem providentiam ſequentes, ſancimus, *ut ſecundum benignum*

1 Theſaurus cujus eſſe debeat, breviter hæc notemus: Theſaurum non eſſe, quod quivis vel lucri, vel metus, vel cuſtodiæ cauſa ſub terra condidit. *l.* 31. §. 1. *ff. de acquirendo rerum*: quod quis perdidit, aut per errorem e loco ſuo ſublatum, *l.* 67. *in fin. ff. de rei vind.* Theſaurus, eſt vetus quedam depoſitio rei mobilis *l. un. C. de thesaur.* ſeu pecunia cujus non extat memoria, ut ea jam dominum non habeat, *d. l.* 31. ejusque dominus ſit ignotus *d. l. unica.* De invento hoc tenendum eſt, Eum qui theſaurum in ſuo caſu invenerit, omnimodo ſuum facere, *verſ. quæ quidem lex.* J. idque ex naturali æquitate & D. Hadriani conſtitutione §. 39. *Inſtit. de rerum diviſ.* Non eſt idem in eo qui ſceleratis ac punitendis facribicis reperierit. *d. l. unic.* nam & theſaurum inventum amittit, & eo amplius puniri poteſt: *arg. l.* 13. *ff. ad L. Cornelium de ſicariis.* Eádem pene ſunt in eo qui in privati fundo & alieno, data opera, non volente invitove domino, theſaurum perfecrutatur, aut certe principis permiſit: quippe inventor ſundi domino theſaurum reddere cogitur, *d. l. unic.* Quod ſi non ſtudio, ſed caſu, puta ab aratore vel colono, *d. l. un. in fin.* vel fabris ad domus reſtitionem adhibitis *l.* 67. *ff. de rei vindic.* Theſaurus ſit reperta? divicetur inter fundi dominum & inventorem *verſ. ſubemus.* J. *cod. d. l. unic. dicit.* §. 39. Quid ſi tu loco lacro vel religioſo ſit repertus? Hadrianus totum conceſſit inventori *d.* §. 39. Divi vero fratres dimidium fiſco adjudicarunt *l.* 3. §. 10. *ff. de jure fiſci.* Jam hic opinionum turba naſcitur. Accurſius dictum §. trigeſimumnonum refert ad æquitatem: dictum legem tertiam, ad jus ſtrictum: Angelo dicta lex tertia displicet, ſed loco ecclefiam inſtituenti. Zoannes in dicta lege tertia legit: *non etiam religiosis*, quo nomine reprehenditur a Roberto *V. receptæ.* §. Cujac. §. *observ.* §. refert dictam legem tertiam ad locum religioſum, qui ſit publicus, *d.* §. 39. ad religioſum, qui ſit nullius. Formerus 2. *ſelectiorum* 26. dictum §. 39. emendat, legis quæ *ac ſi quis* pro, *at ſi quis*, eo ſenſu; Et qui theſaurum in loco religioſo invenit dimidium cedere, ac ſi in alieno reperiſſet, ſic ſentio, Juſtinianum repudiaſſe Divorum fratrum ſententia, D. Hadriani conſtitutionem ampleƈti. Quid ſi in Cæſaris, fici, vel publico, vel civitatis loco theſaurus ſit repertus? inventor theſaurum cum fiſco ac civitate dividet ex conſtitutione Hadriani *d.* §. 39. Plura de inventione theſauri, & cui cedat vide apud Ferrandum 2. *Explicationum* 28. 2 lex 3. §. 10. *ff. de jur. fiſci.* §. 39. *Inſt. de rer. diviſ.* 3 *d.* §. 10. *dict.* §. 39. 4 Hoc innuit dictum §. *decimum & dict.* §. *trigeſimumnonum*, certis temporibus non fuiſſe in uſu. 5 Sententia *d.* §. 10. *d.* §. 39. in ſuum revocatur a Leone.

6 Vid. *l. 1. C. de veteri numiſm. pot.* 7 Numm: veterum etiam principum, modo juſti ponderis, proloque materiæ ſint, recipiendi. reducitur uſus delictus cui illorum reique publicæ commodiſſimum judicium, numiſmatis omne genus (quod [10] quidem formam [11] materiamque non adulteratam [12] & plenum pondus habeat) ſive vetuſtioris cujuspiam Principis, ſive recentioris ſit, æqualiter & æſtimetur, & in republica tractetur. Pœna vero eorum, qui rebelli animo decretum hoc contemnent, fuerit, ut flagris cædantur, & cute [13] tenus tondeantur, inſuperque libras auri tres dependant.

CONSTIT. LIII.

*UT CUIQUE TAM INTRA CIVITATES QUAM EXTRA, MORTUOS SEPELIRE LICEAT[14].

Idem Imperator eidem Styliano.

MEa quidem ſententia, leges civiles non ea modo quæ communi ſubditorum vitæ profint præſcribere: verum de iis etiam qui jam vitam finierunt, humanæ commiſerationi convenientia decernere decet. Quæ autem defunctorum corpora ignominiæ contumeliæque exponant, ac per quæ communi hominum naturæ dedecus atque turpitudo concilietur, nequaquam in leges ſunt includenda. At quod lex [15] mortuos non niſi extra civitates humari vult, quomodo id humanam naturam dedecore afficere non eſt? Et quidem ſi hoc præcipiens, de iis humandis ageret, quibus facilem elationem facultates, quas vivi habuerunt, ſuppeditarent, fortaſſe lex aliquam ad id jubendum rationem habuiſſet. Quanquam tunc etiam ad amicorum, cognatorum, neceſſariorumque defuncti commiſerationem reſpicere oportebat. Quorum dolori atque orbitati magnum ſane ſolatium eſt, ſi [16] amici ſui ſepulchrum amplexari, ac in id lachrymas profundere poſſint. Quæ officia extra civitatem ſepulto non facile eſt exequi. Atnamen ſi illos ſolum extra civitatem ſepeliri vellet, quibus id ipſo mortis die per facultates facile eſſet, ad eam inclementiam aliquam lex occaſionem haberet. Verum nunc, cum inclementia illa ſimul ad omnes ſe extendat, quomodo non manifeſta eſt abſurditas? quomodo legem in naturæ opprobrium ferri non eſt evidens? Qui enim, dum adhuc viverent, inopes & deſerti erant, quomodo mortui ipſo mortis die humabuntur? Quomodo item, cum propter paupertatem ſepultura non accelerabitur, multis diebus inſepulti non miſerabile ſimul & horrendum ſpectaculum jacebunt, tabeſcentemque hominum naturam dedecorabunt? Extra hæc autem, cum mortui interdum famuli Dei appellentur, propterque cœleſtem gloriam colantur, ipſorum corpora inhumata abjici, quomodo id vero expiationi etiam obnoxium non eſt? Ne igitur ullo modo inter civiles leges hæc lex recenſeatur, fancimus: quin potius, ut a conſuetudine recte contemnitur, ſic etiam decreto noſtro prorſus reprobator. *Quicunque autem ſive* extra muros ſive intra civitatem ſepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeto.

CONSTIT. LIV.

*UT DOMINICIS DIEBUS OMNES[17] AB OPERIBUS VACENT[18].

Idem Imperator eidem Styliano.

PRæſtantiſſimum illorum eſt ſtudium qui ſe edendis quæ communi vitæ utilia ſint, præceptis dedunt; dignique ſunt, eo quod ad fubditorum utilitatem omnes ſuas curas intendunt, quorum pius in rempublicam amor laudibus celebretur, ac præcepta ſanctæ deferventur. Interim vero multo æquius fuerit, illis potius iſtiusmodi reverentiam attribuere, quos majores pro humani generis ſalute, tanquam univerſi terrarum orbis legislatores, ſuſcepiſſe ſollicitudines conſtat, quasque leges tulerint, has aliis omnibus anteferre, idque non ſolum propter id quod dixi, quod *videlicet* ad hominum utilitatem, incomparabiliorem ſuſceperint atque contulerint curam: ſed quod etiam divini numinis virtute ſcripſerint ſua decreta. Quoniam itaque illorum inter diſcipulos procerum legi, quæ Dominicæ reſurrectionis diem ceſſatione ab operibus omnes venerari mandat, legem aliam contradicere conſpicitur, quæ non omnes ſimul operari prohibendos, ſed illisque uti operarum indulgendum eſſe cenſet: (ait [19] enim *omnes judices urbanaque plebes & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant: Ruri tamen positi agrorum cultura libere licenterque inserviant*, cujus *iſtius* diei dehoneſtationis nulla ratione nititur cauſa. Nam quanquam fructuum conſervatio prætendi poſſe videatur: nullius tamen illa

8 Νύξεσι τῶν πραγμάτων, *Scrimger.* νύξις τῶν πραγμάτων Agyleus, & male. Plutarch. in *Clemente.* ὁ αὐτὸς τὰ χρήματα νύξει τῶν πραγμάτων προτιμᾶν. quod Diog. Laërtius *Zenoni* tribuit. Demoſthenes *ὑποτίμησιν τὰ νύξει τῶν πραγμάτων.* Æſchines *ὑποτίμησιν τὰ νύξει τῶν πραγμάτων.* Nicetas in Emanuele Comneno, *καὶ χρημάτων ὑπερβαινούσα διαθέσεις ἢ νύξεις τῶν πραγμάτων αἴρεσιν τῶν παλαὶ τὸ καθ' ἡμᾶς.* Euſtath. 2. *Iliados.* τὰ *νύξεις πραγμάτων κτᾶσθαι τὰ χρήματα κατὰ καὶ ἀφορμητικόν.* & 4. *κτᾶσθαι τὰ τὸ ἀπολαῦσαι πολλῶν χρῆσιν νύξει πραγμάτων ἐχεῖ τὰ χρήματα.* Sic in *l.* 1. §. 20. *ff. de quæſt.* In tributis dicuntur eſſe nervi reipub. *& alii*, ſic in pecunia robur omne patrimonii veteres poſuere *l.* 22. *verſ. hinc accedit. C. de admin. tut.* Plura vide apud Cujac. 6. *obſ.* 19. ubi notat Portoria Reipub. nervos principaliter non eſſe, ſed per conſequentiam tantum, adde *Nov.* 149. *c.* 2. *Nov.* 161. *c.* 2. 9 *l. 1. C. de veteris numiſmat. poteſtate.* 10 Ἀπαραποίητον τὸν ἀκριβῆ τύπον καὶ τὴν ὕλην ἀτελεσθαι ἢ τὸ ἀλαὶ τέλειον. *Scrimg.* 11 Principum: quam imprimi numiſmatibus moris fuit, vid. *l. 1. C. de vet. numiſm. poteſt.* 12 Olim lege Cornelia plectebatur qui monetam vultu principum ſignatam (præter adulterinam) reprobaſſet. Paul. 5. *ſent.* 24. §. 1. Artjan. 3. *ad Epiſtetum.* τὸ τὰ Καισαρεῖα νομισμάτα τὰ ἔξωθεν ἀποδοκιμάζειν, &c. adde *Epiſtetum* 11. *Juſt.* 6. 3.

13 Pœnæ genus obſerva: cui ſimile eſt in *Nov.* 78. *in fin.*

14 Sepelire etiam in civitatibus mortuos licet, & ita abrogatur *lex* 3. §. 7. *ff. de ſepulchro violato. l.* 12. *C. de religiosis. l.* 6. *C. Th. de ſepulchro violato*: Paul. 1. *ſent.* 21. §. 2. & le locus Cicetonis: hominem mortuum in urbe ne ſepelito, de quo dixi ad leges XII. tabularum. 15 Vide dictas leges. 16 Solatium hoc eſt vivorum, non mortuorum adjumentum.

17 Dominicis diebus omnes ab operibus vacare debent, *ut hic.* Omnes, inquam, licet ruſtici, quod olim non fuit: & ita abrogatur *lex* 3. *C. de feriis.* facit hujus conſtitutionis mentionem Harmen. 1. *tit.* 4. §. 7. 18 Vid. *l. ult.* §. 1. *C. de feriis*, adde *c.* 1. 2. 3. *extra. de feriis*, ubi traditur, quemadmodum etiam feſtis diebus liceat capere licet, adde quæ dixi ad *leges* XII. *tab. ibi: feriæ.* 19 *l.* 3. *C. de feriis.*

momenti, reque vera futilis est: quum non agriculturæ diligentia, sed solis virtus, quando frugum largitori visum sit, fructuum abundantiam suppeditet:) Quoniam, inquam, istiusmodi lex in lucem prodiit, quæ Domini cultum vilipendat, diversumque ab illis, qui contra omnes adversarios a Spiritu sancto victoriam obtinuerunt, decretum præscribat: statuimus nos etiam quod Spiritui Sancto, ab ipsoque institutis Apostolis placuit, ut omnes in die sacro, quoque nostra integritas instaurata est, a labore vacent: neque agricolæ, neque quiquam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quandam atque figuram observabant, tantopere Sabbathi [1] diem venerabantur, ut ab omni [2] prorsus opere abstinerent: quomodo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos eum diem qui a Domino honore ditatus est, nosque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par est? aut quomodo, cum ex septem [3] diebus unus in Domini honorem consecratus sit, nos aliorum ad opera usu contentos non esse, neque illum Domino eximium & inviolatum conservare: sed ipsum etiam vulgarem facere, nostrisque operibus applicandum putare, religionis non est prorsus dissolutæ?

CONSTIT. LV.

* UT JUDÆI SECUNDUM CHRISTIANISMI RITUS VIVANT [4].

Idem Imperator eidem Styliano.

Qui olim sceptris potiti sunt, de Hebræorum gente (quæ quondam quosdam divino patrocinio foveretur, inclyta fuit, nunc autem ob contumaciam in *Christum* & Deum nostrum, in calamitatibus celebris est) diversas [5] promulgarunt leges, quæ de ipsorum vitæ statu tractantes, jubent, ut [6] sacras ipsi scripturas legant, & ne a suis ritibus arceantur: quinetiam ut liberos supra sanguinis cognationem circumcidendos etiam cognatione suo instituto accommodent. Atque hæc quidem, qui olim (ut dixi) imperium obtinuerunt. Verum sacratissimus Princeps, ille ex cujus semine nos nati sumus, ut qui majore quam cæteri salutis ipsorum desiderio teneretur, hos in sola superiorum legum observatione relinquere (quod ante illum alii fecerant) non contentus: sed partim sacrorum oraculorum explicatione, partim eorundem admonitionibus ad salutarem Christianorum cultum traducens, vivifica baptismi aqua initiavit. Atque quod ipsos in novum secundum *Christum* hominem transformari debere perfuasit ut veterem deponerent, plene effecit, & quæcunque vetustatem saperent, circumcisionem [7], sabbathum [8], & si quid aliud est, cum illo simul exuit. Atqui cum tanto cum effectu a Judaica pertinacia ipsos deduxisset, non etiam prioribus legibus, quæ Judaico ritu vivere permittebant, silentium, & vacationem alterius legis decreto imposuit. Quod igitur pater noster prætermisit, id nos adimplendum putantes, omni antiquiori, quæ de Hebræis statuit, legi silentium injungimus: *& ne illi aliter* quam pura salutarisque Christianorum fides vult, vivere audeant, jubemus. Quod si quis a Christianorum ritibus defectione facta ad Judæorum mores & placita reverti deprehendatur, hic secundum leges de apostatis [9] latas pœnas luat.

CONSTIT. LVI.

DE ORIS [10] MARITIMIS.

Idem Imperator eidem Styliano.

Hæc etiam lex quæ maritimorum prædiorum jus tollit, eorum unde apud [11] oras mare conspicitur: quæque insuper illorum dominum, si illic piscari volentes prohibeat, injuriarum actioni subjicit: nobis non æqua statuere visa est. Quicquid enim non iniquo titulo in cujuspiam dominium devenit, sive parentum hereditas laborumque emolumentum, sive alio quocunque non illegitimo modo paratum sit: quæ causa est, quamobrem id non ab eo qui in dominio habet, administretur, & illi non longe potius quam alteri cuipiam utilitatem præbeat? Non est igitur legis, quæ quidem æquitatem spectet, ut alios ad utilitatem rei, in quam nihil juris habent, introducat: illos vero qui aut solutum pretium, aut cognationis jus, aut denique alium aliquem possidendæ rei non illegitimum titulum laudant, illa privet. Jam vero quod, quum ab illo tanquam loci illius domino, annuum tributum exigatur, expellere inde illum, qui præter ipsius voluntatem loci commodis uti velit, non possit: sed si hoc faciat, injuriarum actionibus tententur: quomodo id præterquam quod iniquum est, non omnibus modis absurdum est etiam? Quid si prædii dominus piscatoriæ artis non ignarus sit, num ipsi otioso dormiendum erit, aliisque orarum [12] emolumenta venari permittere debebit? aut, si otium non amplectetur, in aliorum oris errabundus piscabitur, in suis autem id ipsi non licebit? At quare ita fieri debeat, nullam equidem rationem video. Sancimus itaque, *ut quisque oras* suas inconcusso jure possideat, illorumque dominus sit: & si qui sine ipsius permissu illorum emolumento frui velint, hos propellere possit. Nam quemadmodum terrenis locis juris est, ut quicunque domus dominus sit, is præter illius usum, vestibulum [13] quoque atrium possideat: ut ita etiam in maritimis obtineat, rationi esse consentaneum putamus. Et sicut terrenis locis præter voluntatem domini ex alieno fructus percipere nemini conceditur: sed si quis fructus ex alieno colligit, eos vel benignitate domini percipiat, vel pro loci [14] usu vectigal solvat necesse est: sic etiam in maritimis observari præcipimus.

CONSTIT. LVII.

* QUANTUM IN PISCATIBUS REMORÆ [15] PISCATORIÆ INTER SE DISTARE DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quandoquidem quum plurimæ leges de piscatione statuant, illud quod ἐναγχος [16] nominandum putarunt, adhuc lege definitum non est (quippe, quod, ut videtur, quo tempore leges illæ promulgabantur, nondum id institutum innotuisset) hoc quoque legis constitutionem auferre volumus. Quam itaque juris rationem in hoc piscationis instituto pro legitimo decreto obtinere consuetudini visum est (ut nempe interstitiorum modus ad trecentos sexaginta quinque passus protendatur) hoc nos quod extra convenientem modum non feratur, legis dignitate honorantes, debinc legem esse sancimus. Nam tametsi citra hoc privilegium, ut remoræ piscatoriæ ad hanc rationem disponantur, præsentis ævi hominibus bonum videatur: quo tamen id firmius sit, cautiusque in æternum observetur, lex esto, *remoræque illæ trecentorum* sexaginta quinque passuum intervallo a consuetudine approbato inter se distanto: idque ita, ut ab utraque parte hic intervalli modus desumatur: ut videlicet centum octoginta duo, & semis [17] ab unius partis finibus exporrigantur, reliquum vero ad vicinum usque pertingat. Atque hæc quidem de constituendis introducendisque post hanc legem remoratoriis dicimus. Quæ vero hoc decretum prævenerunt, tametsi præstituto hoc intervallo non dittent, ex ejus præscripto tamen nihil novabitur: permanebuntque illa, ut initio constituta sunt.

CONSTIT. LVIII.

* NE [18] EX SANGUINE CIBUS CONFICIATUR.

Idem Imperator eidem Styliano.

Simul olim legislatori Mosi [19] sanguine vescendum non esse mandavit Deus, simul ab istiusmodi cibo abstineri debere a præconibus gratiæ [20] est constitutum. Et quamquam tum veteris tum novæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit, & nefaria: eo tamen contumaciæ, imo vecordiæ homines processere, ut neutri legi aurem præstent morigeram. At contra alii lucri, alii gulæ causa summa cum impudentia mandatum contemnunt, in escamque qua vesci vetitum est, sanguinem convertunt. Perlatum enim ad aures nostras est, quod intestinis tanquam tunicis illum infarctum, velut confuetum aliquem cibum ventri præbeant. Quod tolerari non debere Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta divina, nunc reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens, jubet, *ne quis id* scelus, neque ad suum usum, neque ut emptores detestando cibo contaminentur, ullo modo exercere audeat. At sciat, quicunque dehinc divinum mandatum contemnere, sanguinemque in cibum convertere (sive vendat, sive emat) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde tonsus erit [21], perpetuo patriæ exilio multandum esse. Quo quidem in judicio, neque civitatum magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed ut & ipsi (neque enim, si illi convenienti alacritate magistratum gessissent, id scelus commissum fuisset) quod negligenter socorditerque subditis præfuerint, decem librarum auri multam sustineant.

CONSTIT. LIX.

* ABROGATIO LEGIS [22] QUÆ HOMINEM LIBERUM SE VENDERE PERMITTIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Quæ lex hominem liberum, qui tam ignavi atque abjecti animi est, ut libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabile pro servitute perfolvendi pretii lucrum participet [1], suam servitutem mercetur, non castigat, neque scelus illud corrigit: profecto & illa earum una est quæ rectum reipublicæ nostræ statum dedecent, ac approbatione indignæ sunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. *Illam* itaque de eo qui res suas ita gubernat, *latam* legem, quæ dementiam firmam esse permittit, neque eversa indigna illa mercatura, hos qui per insipientiam talia faciunt, competentibus pœnis subjicit, neque legis propositum scimus servare, neque quæ convenienti legibus reverentia potiatur, dignam putamus. Si enim quod [2] pater filiis est, id idem leges civibus esse oportet, ut in hoc unum quod illis conducat ac salutare sit, collimet: quomodo hanc legem quæ tantum incommodum atque damnum incumbere iis qui per dementiam in id se conjecerunt, finit, legibus annumerari æquum est? Hanc itaque nos legibus excerptam in exilium mittentes, sancimus, *ut si quis* ita demens sit, ut libertatem servitute commutans seipsum vendat, ne is contractus validus sit, sed evertatur, & simul ipse libertatis suæ proditor, simul is qui cum ipso id facinus designavit, verberibus castigentur, nihiloque minus vesaniæ mancipio libertas in pristino suo statu servetur.

CONSTIT. LX. [3].

* QUA POENA [4] CASTRATORES [5] AFFICI DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Virtutis [6] ad procreandum a Deo naturæ inditæ exactio non minore cum audacia identidem committitur, quam si apud Deum nulli pœnæ obnoxia esset, cum tamen vel maxime sit: & quamquam veteribus legislatoribus curæ fuerit, ut id malum ultrice lege excideretur, quo respublica ab istiusmodi invento munda esset: haud scio tamen, quum si cui alii, huic certe præscripto obtemperari, atque a naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quamobrem non ita faciant homines: sed tanquam utilitatem quandam, istiusmodi adversus generandi vim insidias reputantes, membra quæ homini nascendi causam suppeditant, lancinent, & creaturam aliquam quam qualis conditoris sapientiæ placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur cum inultum relinquendum non putemus, lege in id pœnam constituentes, quibus adeo divinam creaturam deformare religio non est, eorum audaciam, auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac superiorum quidem legislatorum decretum eos qui id auderent ad [7] eandem mutilationem quam aliis intulerint adigit, quodque ipsi in aliis videre desiderarint, id ut itidem in se videant, conficit: idque me judice, non ita præter æquitatem: quanquam non valde decore. Non enim quia ille creaturam Dei *quasi* refingere ausus est, continuo vindicem id imitari, & pariter [8] refingere, æquum est. Verumtamen, quantum id invenium attinet, non valde (quemadmodum dixi) id alienum est. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona namque publicabat, perpetuoque ipsos exilio adjudicabat: & qui injuriam sustinuisset, si servus esset, libertate honorabat [9]. Atque superiorum quidem decretum istiusmodi erat. Nos vero de re illa sententiam pronunciantes, naturæ insidiatores simili mutilatione vicissim mutilari prohibemus: aliis autem isti crimini constitutis pœnis, (tametsi hic etiam ad clementiorem sententiam respiciamus) subjacere ipsos non displicet. Sancimus itaque, *ut qui detestandæ* hujus artis artificem ad castrandum advocarit [10], si in albo [11] Imperatorii famulatus sit, primum albo eximatur: ac deinde decem auri libris in fiscum deferendis multatus in decennium relegetur. Malæ vero istius artis artifex [12], & ipse primum flagris cæsus, tenus sonsione deformetur, & deinde bonis privatus, eodem temporis spatio patria exulet [13]: qui autem injuriam sustinuit, si servilis conditionis sit, reliquo vitæ suæ curriculo ab illa liber erit: sin liberæ, tanquam ipse, quod injuriam admisit, ejus sibi autor sit, quod passus est, suo consensui acceptum feret [14]. Cæterum si qui exectionem sustinuit, ea illi (ut sæpe fit) remedium [15] attulerit, nihil neque nobis neque legi adverfari videtur. Id enim naturam non mutilare, sed illi succurrere est.

CONSTIT. LXI.

* TRIBUTORUM EXACTORES, SI PLUS QUAM DEBEANT EXEGERINT, QUA POENA [16] AFFICIENDI SINT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Si rectam æquitatis semitam mortales ingredi vellent, sane quam magna hinc communi vitæ tum beatitudo, tum salus accederet. Non enim austeritatem præ se ferre legislatoribus opus esset, neque ultrices leges in periculorum difficultates aliquos conjicerent. Nunc vero quamquam & commoda & salutaris æquitatis via sit, plerique tamen illam ingredi nolunt: sed tanquam laboriosa [17] atque aspera fit, miseriasque viatoribus adferat, declinant. Sunt enim, sunt, *nonnulli*, quibus pessima [18] *quæque* placent: quique ab æquitatis itinere deflectentes, ad iniquitatis viam densis spiritus stratam (qua viatores in perditionis præcipitia aguntur) alacri avidoque animo se conferunt. Quorum etiam temerarium impetum veteres castigandum esse putantes, illum lege, tanquam freno, inhibere instituerunt. Sed quomodo illi iniquitatem profligare, atque e diverso æquitatem constituere studuerint. * * * Et quis (quæso) quæ nostra majestas suscipit, non approbet? Quod vero in nonnullis non pro delicti merito pœnam statuere, istiusmodi decretum amplecti recusamus. Quando etenim pro commissi ratione reis judicium obvenit, æquum revera decretum est: quæque illis irrogatur pœna justa. At quando delictum gravius [19] quam oporteat punitur, non id justitiæ sed potius injustitiæ esse censendum est. Quocirca sane, cum superiores legem [20] promulgarint, quæ illis qui colligendis publicis tributis præfecti sunt (*numerariis* [21] promiscuum vulgus appellare consuevit) si supra legitimum modum tributa extendere audeant, graviffimam pœnam infligit (morte enim id delictum perfequitur) & vero non omnino merito tantæ pœnæ illos subjici, nos existimemus, admissionem illi denegamus: contraque statuimus, *ut si quis* in id crimen incidisse deprehendatur, semelque tantum id ausus sit, quod amplius exegerit, ejus duplum dependat: sin id facere pergat, in quadruplum, quod amplius captum est, ad injuria affectum redeat, illeque cum ignominia a concredito sibi officio decedat. Ac sit sane polithac delicti hujus hæc pœna, neque pecuniariæ fraudis reus de vita periclitetur.

CONSTIT. LXII.

* DE POENA [22] EJUS QUI REM ALIENAM PUBLICAM VENDIDERIT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Publicarum injuriarum reos castigari, & hujusmodi pœnis quæ in illas pronos ad tempérantiam adigentes, quam maxime injurias suscindant, subjici justum est. At non idcireo amplius quam par est puniri, neque jus ut fines suos excedat, specieque justæ vindictæ cum injustitia velut conspiret, cogi convenit. Si enim pro delicti modo qui deliquit, puniatur, justa ea juris ultio sit: at si quam pro eo pœna major infligatur, juris propositum servari non existimo. Ea propter nostra majestas, posteaquam in iis quæ a superioribus [23] constituta [24] sunt, ubi eos qui publicæ rei aliquid divendere ausi sunt pœnis subjiciant, non justam sententiam profiteri didicit: ut ejus criminis persecutio non amplius hanc vim habeat, decernit. Quomodo enim justum est, ut cuiquam, quia quiddam quod detrimentum fisco adferat, vendidit, incurabile damnum vitæ nempe privatio obveniat? Nequaquam itaque delictum illud morte puniri dignum est, neque nos hoc judicio deprehensos feriri finimus. *Quicunque autem* publicam rem divendere deprehensus fuerit, ubi quadruplum reddiderit, satis pœnarum sustinuisse putator.

CONSTIT. LXIII.

* DE POENA ILLORUM QUI RES VETITAS AD HOSTES TRANSVEHUNT [25].

Idem Imperator eidem Styliano.

Quæ lex hominem liberum, qui tam ignavi atque abjecti animi est, ut libertatis dignitatem dedecore afficiens, quo execrabile pro servitute persolvendi pretii lucrum participet [1], suam servitutem mercetur, non castigat, neque scelus illud corrigit: profecto & illa earum una est quæ rectum reipublicæ nostræ statum dedecent, ac approbatione indignæ sunt, neque auctoritatem & efficaciam accipere debent. *Illam* itaque de eo qui res suas ita gubernat, *latam* legem, quæ dementiam firmam esse permittit, neque eversa indigna illa mercatura, hos qui per insipientiam talia faciunt, competentibus pœnis subjicit, neque legis propositum scimus servare, neque quæ convenienti legibus reverentia potiatur, dignam putamus. Si enim quod [2] pater filiis est, id idem leges civibus esse oportet, ut in hoc unum quod illis conducat ac salutare sit, collimet: quomodo hanc legem quæ tantum incommodum atque damnum incumbere iis qui per dementiam in id se conjecerunt, finit, legibus annumerari æquum est? Hanc itaque nos legibus excerptam in exilium mittentes, sancimus, *ut si quis* ita demens sit, ut libertatem servitute commutans seipsum vendat, ne is contractus validus sit, sed evertatur, & simul ipse libertatis suæ proditor, simul is qui cum ipso id facinus designavit, verberibus castigentur, nihiloque minus vesaniæ mancipio libertas in pristino suo statu servetur.

CONSTIT. LX. [3].

* QUA POENA [4] CASTRATORES [5] AFFICI DEBEANT.

Idem Imperator eidem Styliano.

Virtutis [6] ad procreandum a Deo naturæ inditæ exactio non minore cum audacia identidem committitur, quam si apud Deum nulli pœnæ obnoxia esset, cum tamen vel maxime sit: & quamquam veteribus legislatoribus curæ fuerit, ut id malum ultrice lege excideretur, quo respublica ab istiusmodi invento munda esset: haud scio tamen, quum si cui alii, huic certe præscripto obtemperari, atque a naturæ mutilatione abstineri æquum sit, quamobrem non ita faciant homines: sed tanquam utilitatem quandam, istiusmodi adversus generandi vim insidias reputantes, membra quæ homini nascendi causam suppeditant, lancinent, & creaturam aliquam quam qualis conditoris sapientiæ placuerit, in mundum introducere contendant. Hoc igitur cum inultum relinquendum non putemus, lege in id pœnam constituentes, quibus adeo divinam creaturam deformare religio non est, eorum audaciam, auxiliante Deo, reprimere conemur. Ac superiorum quidem legislatorum decretum eos qui id auderent ad [7] eandem mutilationem quam aliis intulerint adigit, quodque ipsi in aliis videre desiderarint, id ut itidem in se videant, conficit: idque me judice, non ita præter æquitatem: quanquam non valde decore. Non enim quia ille creaturam Dei *quasi* refingere ausus est, continuo vindicem id imitari, & pariter [8] refingere, æquum est. Verumtamen, quantum id invenium attinet, non valde (quemadmodum dixi) id alienum est. Ad hoc autem alio etiam modo, qui impium hoc factum auderent, puniebat. Bona namque publicabat, perpetuoque ipsos exilio adjudicabat: & qui injuriam sustinuisset, si servus esset, libertate honorabat [9]. Atque superiorum quidem decretum istiusmodi erat. Nos vero de re illa sententiam pronunciantes, naturæ insidiatores simili mutilatione vicissim mutilari prohibemus: aliis autem isti crimini constitutis pœnis, (tametsi hic etiam ad clementiorem sententiam respiciamus) subjacere ipsos non displicet. Sancimus itaque, *ut qui detestandæ* hujus artis artificem ad castrandum advocarit [10], si in albo [11] Imperatorii famulatus sit, primum albo eximatur: ac deinde decem auri libris in fiscum deferendis multatus in decennium relegetur. Malæ vero istius artis artifex [12], & ipse primum flagris cæsus, tenus sonsione deformetur, & deinde bonis privatus, eodem temporis spatio patria exulet [13]: qui autem injuriam sustinuit, si servilis conditionis sit, reliquo vitæ suæ curriculo ab illa liber erit: sin liberæ, tanquam ipse, quod injuriam admisit, ejus sibi autor sit, quod passus est, suo consensui acceptum feret [14]. Cæterum si qui exectionem sustinuit, ea illi (ut sæpe fit) remedium [15] attulerit, nihil neque nobis neque legi adverfari videtur. Id enim naturam non mutilare, sed illi succurrere est.

1 Συμμισθώσασθαι. *Scring.* ad pretium participandum: *l.* 5. §. 1. *ff. de statu. l.* 6. §. 5. *ff. de injuste.* §. 4. *Inst. de jur. person.* ἐπὶ τῷ μισθώσασθαι τὸ τέρμιον. Theoph. *ibi.* Quæri hic potest, quemadmodum ea venditio (nam in pigneratione minus est dubii *l.* 23. §. 1. *ff. de liberali causa*: & ministerio *l.* 16. *C. de liberali.*) aut cujus tandem pretium venditionis ilitis acceptum fieret? an venditoris? non video, cum fiarim ab ipsa venditione venditor servus efficiatur, nihilque ab eo momento fium vel proprium habeat. An emptoris? ne id quidem: nam qui manu pretium numeraret, eadem statim recuperet, nullaque momento in venditoris persona constaret. *l.* 79. *ff. de acq. vel amitt. hered.* An extranei? Non video quoque quemquam tam facilem in alium fuisse, ut se alterius locupletandi vel juvandi causa vendere velit. Itaque puto liberos & ingenuos homines ea redactos nonunquam fuisse, quod herum a quo alerentur, interdum nanciscendi eis expediret magis quam in perpetua mendicitate vivere. Ac ne interea temere fe in fervitutem dedisse videremur: utque aliquem speciem hominis nuncupasse semper pro se ferrent, ab emptore (Theophilus paulo aliter rem explicat *Inst. de jure personar.* §. *si ex dotale*, eo sensu: Ego cum alluque egi, ut me venderet viginti nummis, & sibi pro lucro quinque haberet, quindecim mihi redderet partem sui ipsius pretii, ejusque liberam perpetuamque administrationem stipulabantur. *arg. l.* 5. *ff. si ingenuus*: quod postliminio, velut iniquum, mutatum est a Leone hac Novella; non immerito: cum talem sui ipsius venditionem natura quodammodo respuat: & parum admodum interest, mortem quis sibi naturalem vel civilem consciscat, cum nemo sit membrorum suorum dominus *l.* 13. *ff. ad legem Aquil.* quod hominis liberi nulla sit æstimatio *l. ult. ff. de leg. qui defunct.* quod inquam sit minori vigenti quinque annis in integrum restitutionem ad res suas alienatas revocandas concedi, nec tamen ad libertatem amissam seu venditam revocandam dari. 2 Lex id est civibus, quod pater liberis: ideo dicitur lex πάσαις ἁπάσης κοινὸς. *l.* 2. *ff. de legibus.*

3 Hujus Novellæ meminit Balsamon ad c. 21. 22. 23. *Apost.* 4 Castratores olim ad eandem pœnam adigebantur. *J. eod. & Novell.* 142. c. 1. quod hac constitutione abrogatur. 5 De castratoribus, adde *l.* 22. §. 28. *ff. ad l. Aquil. l.* 3. §. 4. *l.* 4. §. 2. *l.* 6. *ff. ad l. Corn. de sicariis*: Paul. *sent.* 23. 8. 7. 6 Δυνάμενος πρὸς διαλογὴν τὴν γένεσ δύναμις, natura *l.* 9. *ff. de liber. & posthum.* 7 Id est, ad eandem castrationem. 8 Talionis est pœna, ut tale quis patiatur, quod fecit. de Talionis pœna dixi multis locis, quibus adjunge *Novr.* 93. *J. l. ult. tit. ne fiant. baptism. l. ult. C. de accusat. l. ult. C. de calumniatorib. l.* 7. *C. ad l. Jul. de vi publica. l. ult. C. de his qui latrones. Novr.* 123. *c.* 11. *Exod.* 21. *Levr.* 24. *Deuter.* 19. *Matth.* 5. *Apocal.* 13. *c. quod debetur* 14. *q.* 1. *c. sor differentia* 23. *q.* 3. *l.* 3. *de constantia. & unitate. tribus l.* 6. *C. Wisigoth. lib.* 4. Quinti. *decl.* 338. 273. Hidor. 5. *Etymol.* 27. Diodor. 11. Aristoteles tamen 5. *Ethic.* ut & apud Gellium 20. *c.* 1. τὸ ἀντιπεπονθὸς reprobat. Nec est etiam hodie in usu, vid. Petr. Greg. 41. *Syntagm.* 20. 9 *d. Novr.* 142. Quis publicandarit, id est, publici fiebant *l.* 1. *C. de Iconoclast.* 10 Pœnam obtervantis castrari vel autoritatem castrationi hominis præbentis. 11 Τῶ καταλόγῳ τῶν βασιλικῶν ἀνδρώνων. *Scring.*

12 De pœna ejus qui aliquem castravit. 13 Lege Ripuariorum si ingenuus ingenuum vitraverit, 200. solidis emitabatur *tit.* 6. §. 1. *legis Ripuariorum.* 14 Pœnis tamen ecclesiasticis subjicitur. nam si seipsum mutilavit, ne fieret clericus ut sui homicida Deoque opibei hostis judicatur *c.* 22. *apost.* si jam clericus, deponitur. *c.* 23. Quid si laicus? tribus annis segregatur: *c.* 24. *apost.* non idem est in eo, qui vi hostium vel a tyranno persecutionis tempore castratus est, aut qui natus est Eunuchus *c.* 21. *apost.* 15 *c.* 1. *Nicæna synod.*

16 Tributorum exactores injusti olim capitali supplicio afficiebantur, *l. un. C. de super exactorib. lib.* X. Hæc autem Novella pecuniaria dupli vel quadrupli multa plectuntur. & ita abrogatur *d. lex un.* 17 Virg. Nam via virtutis dextrum petit ardua callem, Difficilemque aditum primum spectantibus offert. Heliodus *vers.* 288. 289. loquens de virtutis via: πάσης ἁπάσης κοινὸς. ἀλλ καὶ ἐξ ὧν αὐτὴ καὶ τοῖς τῆς ἀρετῆς.

18 Hinc illud Medex: video meliora proboque, Deteriora sequor. 19 *l.* 12. *ff. de pan. Novell. Justin.* 82. *cap.* 10. 20 *l. un. C. de super exactoribus lib.* 10. *tit.* 20. 21 Διοικηταὶ colligendis tributis præfecti.

22 Pœna ejus: qui rempublicam vendidit, quadrupli: ut hic, olim morte afficitus, & ita abrogatur *l.* 3. *l.* 4. *C. que res ven. non pos.* 23 Arcadio, Honorio & Theod. 24 *d. l.* 3. *d. l.* 4.

25 Pœna res vetitas ad hostes transvehentis olim capitalis fuit, *l.* 4. *ff. ad Jul. majest. l.* 1. 2. *C. que res export.* alia pœna hic constitutur.